

quas promulgari contra eos contingeret per potestates castellanos, seu officiales, & iudicantes ipsius Johannis, & successorum suorum nominibus in dictis locis, & quolibet eorum ad dictum Johannem, & successores suos; a gravaminibus vero que inferri, & sententiis, quas per dictum Johannem, & successores suos promulgari contingeret ad predictum Gulielmum Marchionem, & successores suos appellari deberet, & in eo gradu essent, & sub eisdem legibus, & statutis regerentur, quibus regebantur per quondam Johannem Bartholomeum de Carreto tempore quo preerat regimini *eorum dummodo* ipsi tunc Gulielmo Marchioni per predictum Johannem, seu ejus nomine primitus, & ante omnia ducatorum duodecim milia efficaciter . . . premissorum occasione solverent, prout in quibusdam instrumentis desuper confectis idem predecessor plenius acceperat contineri; infeudationem, traditionem, & successionem predictas, ac pro ut illas concernebant omnia, & singula in dictis instrumentis contenta, & inde secuta quecumque motu proprio, & ex certa sua scientia confirmavit, & approbavit, easque robar perpetue firmitatis voluit obtinere, supplevitque omnes, & singulos defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem; & si forsitan castra, & loca hujusmodi seu eorum alterum, vel aliquem ex eorum possessionibus Camere Apostolice, seu predecessoribus suis Romanis Pontificibus pro tempore existentibus quomodolibet obnoxia, seu obligata fuisse, aut etiam esse, ac fore, aut ex eo quod aliquod eorumdem castrorum vulgare nomen religiosi loci, seu vocabulum, seu nuncupationem sortitum foret, ac etiam tunc ea pertinere ad aliquam Ecclesiam, aut a quibuscumque Monasteriis, Metropolitanis, & aliis Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis quomodocumque dependisse, aut dependere, seu earumdem Ecclesiarum, aut sui ordinis Monasteriorum illorum, *vel* illa pro tempore obtinentium tantum personarum jurisdictioni ex quavis causa subiecta fuisse, ac etiam fore, & ad Ecclesias Monasteria, & alia beneficia hujusmodi pertinuisse, ac pertinere contra concessionis predictae formam reperiatur cum omnibus, & singulis decimis, primitiis, & aliis rebus, & bonis, quibuscumque per predictum Gulielmum, & successores suos castra, & loca hujusmodi pro tempore obtinentes percipi solitis, & ad castra, & seu loca hujusmodi quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, quatenus opus foret de novo in feudum Ecclesiarum, seu perpetuum vicariatum temporalem Joanni, & suis successoribus prefatis eisdem motu, & scientia, ac de Apostolice Potestatis plenitudine concessit, & totum id & quidquid dictorum castrorum, seu locorum, vel possessionum hujusmodi Camere Apostolice predictae alias forsitan persolutum, ac etiam debitum fuisse, & fore eidem Joanni, & suis successoribus predictis motu, & scientia similibus liberaliter remisit, & donavit, ipsosque penitus, & omnino ex premissis quotando absolvit, & liberavit, ac quotos & liberos perpetuo declaravit, dictam vero jurisdictionem, & dependentiam, dominium, & proprietatem, si quam forte reperierint, nec non quascumque li-

tes, seu causas premissorum occasione contra quascumque personas cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, vel preeminentie, quomodolibet forsitan motas, & in quavis instantia pendentes ad se, & Sedem Apostolicam motu, ac scientia, & potestate predictis, advocavit, suppressit, & extinxit, cassavit, & irritavit, ac suppressas, & irritas cassas, & extinctas fuisse, & esse, ac fore decrevit, & declaravit; & insuper juspatronatus, seu presentandi personas idoneas ad parochiales Ecclesias castrorum, seu locorum, juriumque, & pertinentiarum eorumdem, cum eas pro tempore vacare contingeret ad Joannem, & successores predictos etiam laicos ex tunc deinceps, & perpetuis temporibus eisdem motu, & scientia, & potestate voluit pertinere certis, desuper exequutoribus deputatis, qui facerent eosdem Joannem, & successores possessione castrorum, & locorum predictorum pacifice gaudere prout in ejusdem predecessoris legitimis literis, desuper confectis plenius continetur. Nos igitur, qui Bartholomeum filium, & Bernardinum Gulielmi nepotem ipsius Johannis dilectos filios Magistros litterarum Apostolicarum scriptores, & familiares nostros, & ejusdem Joannis eredes, & in oppidis predictis successores ob sincere devotionis affectum, quem ipsi ad nos, & Romanam Ecclesiam gerere comprobantur, paterna diligimus in domino caritate, cupientes premissa omnia, & singula inviolabiliter observare motu proprio non ad successorum eorumdem, vel aliorum pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ac certa nostra scientia infeudationem, traditionem, & concessionem Sixti quoque predecessoris litteras predictas, ac omnia, & singula in illis, & predictis instrumentis contenta auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, approbamus, presenti quoque scripti patrocinio communimus, ac illas in perpetuum observari debere volumus, & decernimus, supplentes quoque omnes, & singulos defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem, & pro potiori cautele suffragio easdem Sixti predecessoris Pape litteras & singula per eum in illis concessa facta, & ordinata motu scientia, & auctoritate predicta innovamus, & de novo facimus, concedimus, statuimus, & ordinamus, ac omnibus, & singulis cujuscumque status, gradus, ordinis, preeminentie, & conditionis personis Ecclesiasticis, & secularibus sub excommunicationis pena per eos, qui contrafecerint incurrenda, ne dicti Joannis successores predictos super premissis, seu premissorum aliquo, & quovis *molestent, sed* successores ipsi castra loca territoria jura jurisdictiones, & alia premissa assequi, eaque tenere, habere, possidere, & concessis ipsis desuper facultatibus, privilegiis, indultis, & potestate in illis, & eorum hominibus, & personis uti, frui, & gaudere libere possint, & valeant quovis quesito colore, aut respectu directe, seu indirecte, tacite, vel occulte per se, vel per alios impedire, inquietare, molestare, seu perturbare quoquomodo presumant eisdem motu scientia, & auctoritate districtius inhibemus, & nihilominus venerabilibus fratribus nostris Aquensibus, Albenti-